

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2020-2021
À rendre avant le mercredi 30 septembre (casier au DSA)

Version latine n°2 : Aurélien et Zénobie

Au III^e s. ap. J.-C., l'empereur Aurélien part en expédition contre Zénobie, reine palmyrénienne qui a conquis les provinces orientales de l'Empire romain.

Denique fatigatus ac pro malis fessus litteras ad Zenobiam misit* deditionem illius petens, uitam promittens, quarum exemplum indidi : « Aurelianus imperator Romani orbis et receptor Orientis Zenobiae ceterisque, quos societas tenet bellica. Sponte facere debuistis id, quod meis litteris nunc iubetur. Deditionem enim praecipio impunitate uitae proposita, ita ut illic, Zenobia, cum tuis agas uitam ubi te ex senatus amplissimi sententia collocaero. Gemmas, aurum, argentum, sericum, equos, camelos in Romanum aerarium conferatis ; Palmyrenis ius suum seruabitur. »

Hac epistula accepta Zenobia superbius insolentiusque rescripsit quam eius fortuna poscebat, credo ad terrorem ; nam eius quoque epistulae exemplum indidi : « Zenobia regina Orientis Aureliano Augusto. Nemo adhuc praeter te hoc, quod poscis, litteris petit : uirtute faciendum est quidquid in rebus bellicis est gerendum. Deditionem meam petis, quasi nescias Cleopatram reginam perire maluisse quam in qualibet uiuere dignitate. Nobis Persarum auxilia non desunt, quae iam speramus, pro nobis sunt Saraceni, pro nobis Armenii. Latrones Syri exercitum tuum, Aureliane, uicerunt ; quid ? si igitur illa uenerit manus quae undique speratur, pones profecto supercilium quo nunc mihi deditionem, quasi omnifariam uictor, imperas. » [...]

His acceptis litteris Aurelianus non erubuit, sed iratus est statimque collecto exercitu ac ducibus suis undique Palmyram obsedit [...], denique multa ui mulierem potentissimam uicit.

Flavius Vopiscus

*Le sujet est Aurélien.